Q. D. B. V.

RESOLUTIO
Aphor. X. Sect. VI.
MAGNI HIPPOCRATIS COI,
in quo
traditur

PROGNOSIS CEPHALÆÆ,

CONSENSU ET AUTORITATE INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
in
ALMA SALANA
publicæ Philiatrorum censuræ exposita,
à
PRÆSIDE

JOHANNE PHILIPPO STRUVIO,

MED. DOCT.

RESPONDENTE

JOANNE FRANCO,

ULMENSI,
in
ACROATERIO MEDICORUM,
Ad diem Jun. Anni M. DC, LXXVI.
horis consvetis,



TYPIS GOLLNERIANIS.

VIRIS

Nobilissimis, Excellentissimis, maxime Reverendo, Amplissimis, Consultissimis, Praeclarissimis, Consiliorum Gravitate, Eruditione, & Morum Integritate Spectatissimis

DN. JO. MATTHAEO Neubronner/Ærarii Publ. Quæstori Amplissimo.

DN. MARCO TOBIAE Neubronner/J.U. D. Celeberrimo, Reipubl. Ulmens. Consiliario Prudentissimo.

DN. TOBIAE Neubronner/ Mercat. Trib. Præposito Spectatissimo.

} Nobilissimi Legati Neubronneriani Administratoribus Fidelissimis.

DN. M. MARCO Wollaib/ Reverend. Minist. Ulm. Sen. Scholarchæ Bibliothecario, & Consist. Matrim. Assessori Gravissimo.

DN. VITO Marchtaler/ Scholæ Ulm. Visit. & Trib. Merc. Præposito Laudatissimo.

DN. VVOLFFG. FRIDER. Stromeyer/Reip. Ulm. Archigrammateo fidelissimo.

} Nobilissimi Legati Ovveriani Administratoribus Benignissimis.

DOMINIS SUIS PATRONIS & PROMOTORIBUS OBSERVANTISSIMIS

EXERCITIUM HOCCE MEDICUM

In perpetuam studiorum suorum commentationem, ea, qua par est, animi submissione sacrum esse voluit

deditissimus cliens

JOANNES FRANCUS.



J. J.



T omni animali, homini imprimis, nihil acceptius, nihil gratius, nihil jucundius, nihilque naturæ magis conveniens & abblandiens, voluptate: ita vicissim nihil tristius, nihil sævius, nihil communius, nihil familiarius, & naturæ magis repugnans, eandemque destruens & evertens, dolore.

Alius enim his, alius aliis exagitatur & divexatur. Inprimis autem dolores capitis adeò frequentes sunt, ut paucissimi sint homines, qui iis non aliquando laboraverint vel laborent. Ex illorum numerô illi diuturni dolores, Cephaleæ nimirum, sæpius etiam corpus humanum afficiunt, de quorum solutione *divinus senex Hippocrates sect. VI.* egregium nobis proponit Prognosticon, quod sequentibus continetur verbis,

Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον, ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα λύει τὸ νόσημα.

Capite dolenti & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens, morbum solvit.

Quem aphorismum, pro ingenii modulô illustratum, CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ dissertationis locô ventilandum exhibeo. Cum verò citra divinum auxilium nihil in re tàm arduâ præstare valeamus, rogamus te, Æterne Deus, ut

Spiritus tui Sancti gratiâ nobis clementissime adesse velis, quò omnia in tui nominis gloriam, & salutem, ægrotorum cedant ac vergant.

PARS PRIOR
EXHIBENS AFFECTUM, DE CUJUS EVENTU HIPP. IN PROPOSITO APHOR. AGIT.

AD resolutionem propositi Aphorismi me nunc confero, cujus verba initialia sequentibus continentur verbis:

Κεφαλὴν πονέοντι, *capite laboranti &c.* Ex quibus patet loqui hic Hipp. de *dolore capitis*: Cum vero *Hipp.* addat καὶ περιωδυνέοντι *& vehementer laboranti*, liquet, *Hipp.* non de illo dolore capitis loqui, qui *Græcis* κεφαλαλγία dicitur & totum caput aut maximam ejus partem occupat, qui nempè recens, levis & facile solubilis est, nec de ἡμικρανία, qui dimidium caput, & quidem dextram vel sinistram, anticam vel posticam ejus partem possidet, neque de *clavo & ovo* ubi particula quædam capitis afficitur; sed de eô, de quò *For. lib. 9. obs. 84.* loquitur, de *Cephalæa* nimirum, qui dolor inveteratus est, gravis, vehemens, difficulter solubilis, acutus, pulsatorius, id quod addita in textu vocula περὶ, quæ augmentum significat, indicat.

Cum verò dolor sit tristis sensatio, ἀνιαρὰ αἴσθησις, sicut *Gal. lib. 2. de loc. aff.* dicit, concludo, quòd sit

Cephalæa tristis sensatio, diuturna, contumax, vehemens (quibus à Cephalalgia distinguitur) partium capitis internarum sensu tactus præditarum, ab inflammatione, aut copia sanguinis vel copiosis humoribus, in partes sentientes violenter agentibus, atque ita continuum solventibus, ortum habens.

Tristem, diuturnam, contumacem, vehementem sensationem dum dico esse *Cephalæam*, eo ipso *morborum & causarum* campis *Cephalæam* excludo; *symptomatum* vero terminis includo.

Mor-

Morborum quidem, cum nullam ad eorum naturam permanentiam; ſed in ipſo fieri ſuam Eſſentiam habeat dolor.

Cauſarum quoque, quia ad earum indolem morbum non antecedit, ſed ſequitur. *Symptomatum* igitur terminis, quæ *morbum* & *cauſam*, tanquam umbra corpus ſequuntur, includendus venit: cum autem horum, veterum & recentiorum ſuffragio, tres ſtatuantur ordines, *actionum læſarum, excretorum & retentorum & qualitatis mutatæ,* referenda erit *Cephalæa* ad *actionis læſæ ſymptomata*; non tamen prorſus *abolitæ*: alias non adeſſet dolor; nec *diminutæ*: ita enim ſtupor potius oriretur; ſed *depravatæ*. *Argenterius* quidem & alii *lib. de gen. & diff. ſympt. cap. 3. dolorem* referunt ad *actionem auctam.* Sed hanc non eſſe diſtinctum genus actionum læſarum, explicant inter alios *Senn. libr. 2. inſtit. part. 3. ſect. 1. cap. 3.* & *Vopiſcus Fortunatus Plempius fundam. medic. l. 4. cap. 2.*

Hier. Capivacc. lib. 1. Prax. cap. 19. generis loco ponit *ſenſum corruptum*, hoc facile tolerari poteſt, modo latâ ſignificandi poteſtate *ſenſatio depravata & corrupta* pro una eademque accipiantur.

Dictum etiam, *Cephalæam* eſſe *triſtem, diuturnam, contumacem, vehementem ſenſationem partium capitis internarum ſenſu tactus præditarum,* ad differentiam doloris qui in partibus ſenſibilibus capitis externis contingit.

Quia igitur *Cephalæa* eſt *triſtis diuturna, vehemens, contumax ſenſatio partium capitis internarum ſenſu tactus præditarum,* inquirendum, in quanam *parte ſenſibili capitis interna,* (in tali enim excitari *Cephalæam* neceſſe) excitetur, cum non omnes ejus partes æque ſenſiles ſint, imò quædam illo plane carere videantur.

Varia quidem reſecta calvaria oculis obſervare licet, quibus tamen omnibus *ſubjecti* nomen non imponitur; ſed ea ſolum, quæ vel *tactus organon* ſunt, aut hoc gaudent, id merentur. Quibus *tactus organon nervus*, facile, cum multa horum paria ſecantibus occurrant, in quo pedem figant, impræſentiarum invenient. Sed cauſa ſe excidiſſe ani-

 mad-

madvertent, quando in nervorum, magnorum præcipue, vulneribus, medullæ sine omni dolore exemptionem videbunt, id quod confirmat *Senn. lib. 1. instit. cap. 12.* Quo ipso etiam facile *Hier. Montalti* opinio evertitur, qui *libr. 1. de hom. sanô* sciribit, *proprium & adæquatum organon tactûs nervum esse.*

Tactus tamen molestiam si percipiant nervi, duplici, quibus investiuntur, à cerebri meningibus productæ, membranæ debent.

Utrum autem ipsa *cerebri substantia* afficiatur, Autores inter se non conveniunt.

Scribit quidem *Gal. de compos. med. secundum loca libr. 2. c. 1.* etiam in *cerebri substantia* fieri *sensum* & consequenter quoque dolorem.

Ex alterâ parte afferunt rationem *Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 7.* qui disertissime scribit, *cerebri substantiam ἀναίσθητον, sensus expertem* esse, adeóque etiam doloris.

Verum enimvero hôc locô assumo distinctionem *Hier. Mercur. lib. 1. Prax. cap. 3.* quando dicit: *cerebri substantiam duplicitér* accipi: 1. pro *nudâ* ac *purâ* ejus *substantia.* 2. pro ejus *substantiâ membranis* amictâ. Si *priori* modo sumatur, concedi potest cerebrum dolorem non percipere, quoniam sensu tactûs destituitur; sin *posteriori*, particeps est cerebrum doloris, quia etiam particeps est sensûs.

Itaque quando *Gal. cerebro dolorem* ac sensum tribuit, non de *nudâ substantia*; sed de illis partibus cerebri, quibus *tenuis meninx* proxime ad nata est, loquitur, *vid. Plat. tom. 2. prax cap. 3.* Quando vero *Arist. lib. 3. hist. anim. cap. 19. & Gal. 1. caus. sympt. cap. 8. cerebrum tactus sensu* recte privant, de *cerebri substantia nuda* ac *pura* loquuntur, quippe cum cerebri particula in vulneribus capitis profundis citra ullum doloris sensum, à chirurgis sæpius eximatur.

Rectius igitur *membranosas capitis partes internas* solas, utpote quæ sensu satis exquisito præditæ sunt, adæquatum tactus, & per consequens *doloris esse subjectum statuimus:* aliis vero partibus non nisi membranis mediantibus, quas

multæ

multæ participant, dolore affici contingit, atque ob id ad oculorum radices, cum à cerebri membranis tunicas accipiat oculi globus, dolores percipiuntur, ſicut & externi dolores ſecundum *Fern. lib.5. path. cap.1.* eo pertingunt, quia pericranium, quod membrana eſt, oculorum cavum ſuccingit. Ita *venæ* & *arteriæ* cerebri in *Cephalæâ* non afficiuntur, nec *canales* aut *ſinus* dolore affici ratio dictitat, ſed ſi quis excruciat, ille in *membranis*, ex quarum reduplicatione oriuntur; cohibita intrà ſepimenta doloris cauſa, contingit, ſicut & *calloſum corpus* pars cum cerebro communis non niſi involucri beneficio ſenſu hôc gaudet, quo *fornix*, cùm illo ſit deſtituta, caret. Sic *Lucidum* etiam *ſpeculum*, quum ex duplicata tenui menigne ſit formatum, dolore afficitur. *Trium ventriculorum* ſuperficies tenui ſuccingitur membrana, quod ut *Bauh. l. 3. anat. c. 13.* ait non niſi diligenti adminiſtratione aſſpicitur, quos & *quartus*, ſuâ quoque munitus, æmulatur, quæ ſanè ut aliarum partium idem doloris fatum experitur: nec *plexui choroidi* qui vaſorum minorum in prioribus cerebri venrriculis eſt complicatio, ſenſu frui daretur, niſi tenui eos involviſſet natura membranâ. *Infundibulum*, tenuiori cerebri membranâ cum ſit munitum, ſenſu quoque munitum, cujus etiam beneficio *glandula pituitaria* ingruentium malorum ictus ſentit, & facile ab adhærentibus ad ipſius latera arteriarum carotidum propaginibus illatas perferre cogitur moleſtias.

Rete mirabile eſſet immune, niſi membranoſum quoque eſſet, notante *Spigelio lib. X. cap. IV. anat.*

Glandula pinealis, & *vermiformes proceſſus*, ſimili ratione etiam afficiuntur.

Perluſtrato *ſubjecto* conſiderandæ nunc *cauſæ* veniunt, tales diuturnos, vehementes, contumaces *dolores*, inducentes.

Diximus autem ſupra *Cephalæam* ab *inflammatione*, aut *copioſo ſanguine*, vel *vitioſis & abundantibus humoribus*, (qui enim à flatibus aut alio vitio oriuntur dolores, ſunt mitiores,) *in partes ſentientes violenter agentibus*, atque ita *continuum ſolventibus*, ortum habere; ex quibus facile licet colligere,

ſolutio-

solutionem continui in partibus sentientibus seu *membranosis*, uti aliorum dolorum omnium, ita etiam *Cephaleæ* esse *causam proximam*; *propinquam* vero esse *inflammationem*, aut *copiam sanguinis*, vel *vitiosorum & copiosorum humorum redundantiam*.

Quomodo vero ab his *causis continui solutio* inferatur, indagare non erit injucundum. Ab *inflammatione* in capite *continuum solvitur*, quando nimirum sanguis extravasatus confertim in vicinarum partium substantiam diffunditur, eamque distendit & irritat.

A *copia sanguinis continuum solvitur*, quando arteriæ capiti plus sanguinis advehunt, quam venæ exportant, unde distenta ob accumulatum sanguinem, & turgida vasa majus spatium occupatura, partium membranosarum continuum, dum subsidere vel cedere coguntur, divellunt: cujus exemplum proponit *For. lib. 9. obs. X.* it. *obs. XI. XIII. LV.*

Copiosi denique & *vitiosi humores* capiti satis tenaciter jam impacti *continuum solvunt*, quando nimirum meatus capitis obstruunt, vasa distendunt, membranas comprimunt, arrodunt, vellicant, imo ipsis membranis se insinuant. Sic ab humore pituitoso, melancholico, bilioso, continuum in capite solutum fuisse, testatur *For. lib. 9. obs. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 25. it. obs. 56. 57.*

Ipsa autem *generatio & collectio humorum* jam excutienda venit.

Tales *vitiosi* enim & *copiosi humores*, qui, si satis tenaciter impacti capiti *Cephalæam* causant, vel in *ipso cerebro* generantur, vel ab aliis partibus ad cerebrum mittuntur. Nonnunquam enim per *ἰδιοπάθειαν* in capite originem trahit vitiosus apparatus, deficientibus nimirum nutritionis postulatis. Cum enim cerebrum frigidum sit & juxta *Hipp. lib. περὶ σαρκῶν μητρόπολις τῆς ψυχρῆς καὶ τοῦ κολλώδεος*, secundum *Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 7. ψυχρότατον τῶν ἐν τῷ σώματι μορίων*, *variis injuriis expositum*, si *δυσκρασίαν* patiatur, ac facultas ob intemperiem debilitetur, vel ob obstructionem & transspirationem prohibitam impediatur, aquo-

aquosam sanguinis partem ad nutriendum ineptam, vel sublimatam vaporum substantiam per vias convenientes excernere, aut admisso alimento, quod sanguis est, perfectionis notam coctione imprimere, aut genitam inde excrementorum saburram expellere nequit; hinc in oris his subsistens cruor, nec in venas progrediens, perit, crassescit, acrimoniam acquirit, & longam excrementorum seriem nectit.

Idem & plura ab altero, qui per *συμπάθειαν* fit, generationis modo sperare licet mala, materia scilicet ad caput imbecillum transmissa.

Sic *ventriculus*, læsa concoctione; *cor*, læsa sanguificatione; *hepar, lien, hypochondria, renes*, læsa dextra segregatione; *uterus*, suppresso sanguine menstruo, arma plurima ad intestina bella, partibus corporis imbecillioribus præprimis, subministrant: qualia exempla habemus ap *For. lib. 9. obs. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51.*

Via, quam decurrunt humores, & ex quibus ab omnibus partibus in caput ad ejus partes sensiles proveniant, inquirenda.

Eam autem *Harvei* summa industria nobis monstrat. Arteriæ nimirum sunt, quæ sanguinis commercia ad remotissima etiam loca transportant indesinenter, quod in capite simili ratione evenire colligimus, arteriæ enim carotides & cervicales hic reperiuntur, copiose omnem sanguinis liquorem adducentes.

Progredior nunc ad *causas remotas* quæ vel ex *naturalium* vel *non naturalium*, vel *præternaturalium* classe desumuntur.

Inter *res naturales* occurrit *temperamentum* ad plethoræ vel cacochymiæ generationem aptum: excellit *calidum humidum*, autore *Gal. art. medic. cap. 19.*

Figura capitis vitiosa. 6. Epid. comm. 1. *t.* 3.

εὐαισθησία cerebri, 3. loc. aff. cap. 9.

Imbecillitas capitis à primo ortu contracta; imo

Hæreditaria dispositio, plurimum valet, quale exemplum etiam proponit *For. lib. 9. obs. 38.*

Modus substantiæ cerebri consistens in partis membranosæ & glandulosæ laxitate, & ad recipiendum majori aptitudine, quam resistentia consistens, fores aperire potest.

Sexus uterque pronus, magis tamen muliebris afficicitur per consensum, utplurimum ab utero, *vid. Höferum Hercul. med. lib. 1. cap. 3.*

In numero rerum *non naturalium* occurrit *aer* nimis *calidus*, qui fundendo & liquando facit, ut continuum solvatur.

Frigido spirante & hyeme etiam fieri dolores capitis, inquit *Hipp. 3. aph. 3. & 23.*

Cibus & potus immodicus & inordinatus, ciborum calidorum usus, aliaque pravi succi edulia, etiam ad dolorem disponunt, & quidem à potu nimio oriri optime norunt illi, qui illi indulgent; sed plerumque non multum æstimant, quia per somnum ebrietate discussa & illum recedere plerumque norunt. Est tamen, qui durat & & satis graviter affligit, crapulæque deditos male sic c[illegible]ciat. Quod quidem si credere nonnulli detractant, fidem ipsis facere possunt *Henricus ab Heer obs. 17. p. 224.* & *Balth. Timæus l. 1. cas. 5.* ubi *magistrum equitum, cum per bacchanalia vino generoso largius se invitasset, in capitis dolorem adeò vehementem incidisse refert, ut cyclopes in cerebrum migrasse putaret, diesque noctesque insomnes duceret, non sine magnâ mentis anxietate & perturbatione.* Confer. *obs. 27. 28. For. lib. 9.*

Motus & quietis cooperatio calculum adjicit, si peccent ἐν τῷ πολὺ, modumque excedant. Immoderatum enim corporis exercitium sanguinis motum adauget: deficiens motus cruditates cumulat, cerebro nocivas.

Ut *Somni* moderati beneficia sunt admiranda, ita modum

dum excedentis corpus & caput diffundendo resolvunt, &, ut recipere queant vitiosos humores, imbecillum reddunt.

Per *vigilias* etiam oriuntur Cephaleæ, sanguine nimirum & spiritibus nimium agitatis, acribusque redditis.

Sic ubi *excreta & retenta* se non recte habent, etiam oriuntur Cephalææ: ab alvi enim suppressione fieri Cephalæas, vulgo cognitum. In altero vero sexu mensium suppressiones semper comitem habent dolorem capitis, nec gravidæ ab iis liberæ.

Semen quoque vel copiosius excretum, vel in iis, quibus abundat, retentum, caput dolore afficit. Sic à lacte in mammis mulierum retento oriri Cephalæas nutrices testantur. *Vid. obs. 29. l. 9. For.*

Animi pathemata affectum hunc gignere experientia docet.

Res præter naturam cephaleam inducentes, vulnera & contusiones capitis esse, omnibus notissimum.

Et hæc de affectu, de cujus eventu in proposito aphorismo loquitur *Hipp.* sufficiant. Sequitur nunc

PARS POSTERIOR CONTINENS MODUM EVENTUS CEPHALÆÆ JUXTA EFFATUM HIPP.

HActenus naturam Cephalææ & unde oriatur, vidimus, nunc brevibus etiam *Modum Eventus* ipſius Cephalææ, quæ omnium dolorum capitis periculoſiſſima & longisſima, juxtà *aphor. Hipp.* conſiderabimus, quem ſequentibus exprimit verbis. πύον, ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κτ̀ τὰς ῥῖνας, ἢ κτ̀ τὸ ϛόμα, ἢ κτ̀ τὰ ὦτα λύει τ̀ νόσημα: *pus vel aqua vel ſanguis, per nares, aut os, aut aures effluens, morbum ſolvit.*

Si nimirum, mens eſt *Hippocratis*, *Cephalæa* ab *inflammatione* oriatur, uti ſuperius dictum, & naturâ excernatur *pus*, morbum ſolvi.

Si vero à *copia ſanguinis* oriatur, uti ſupra notatum, & fiat effluxus *ſanguinis*, Cephalæam tolli.

Si denique *copioſi & vitioſi humores Cephalæam* inducant, uti etiam monſtratum, & fiat effuſio *aquæ*, etiam ſolvi morbum.

Triplex igitur *materia* à Divino ſene in aureo ſuo dicto nobis proponitur, à cujus effuſione Cephalæa ſoleat ſolvi: πύον nimirum *pus*, ὕδωρ *aqua* & αἷμα *ſangvis.*

πύον *pus* ſi effluat, dicere vult *Hipp.* ſolvi eam Cephalæam, quæ fit ab inflammatione; ſanguis enim ille extravaſatus, qui in vicinarum partium ſubſtantiam confertim diffunditur, eamque diſtendit & irritat, tandem in *pus* abit, quod ſi poſt à natura excernitur, tollitur Cephalæa.

αἷμα ῥυὲν, ſanguis ſi effluat, ſolvi Cephalæam à copia ſanguinis continuum ſolvente, ortum habentem; hoc enim modo ejus redundantia corrigitur.

ὕδωρ *aqua* ſi effluat, hoc eſt, ichor particeps ſucci bilioſi pituitoſi, melancholici, ſeroſi, tolli eam Cephalæam, quæ fit à copioſis & vitioſis humoribus. Tali enim modo copia abſumitur, vitiumque corrigitur.

Tan-

Tandem *Divinus Senex* mentionem facit *meatuum* ac *viarum*, per quas natura sæpe tales evacuationes instituat: κτ᾽ τὰς ῥῖνας scilicet *per nares* κτ᾽ τὸ στόμα, *per os*, καὶ κτ᾽ τὰ ὦτα, *per aures*, tria enim hæc emunctoria cerebro à natura data, juxta *Gal. 2. art. medic. cap. de cerebr. indiciis & 7. meth. med. cap. 13.*

Quando nimirum κτ᾽ τὰς ῥῖνας *per nares*, uti vir quidam pleni habitus, excarnificatus aliquamdiu ab intolerabili capitis dolore, pulso per nares plurimo pure, liberatus, *teste Tulpio lib. 1. obs. 32.* κτ᾽ τὰ ὦτα *per aures*, καὶ κατὰ τὸ στόμα, *per os*, πύον, *pus* ἢ αἷμα, aut sanguis, aut ὕδωρ, aqua effluat; tolli Cephalæam, quæ vel ab inflammatione, aut sanguinis redundantia, aut copiosis & vitiosis, humoribus ortum habet.

Discant hinc Medici naturam imitari & observare, cum judicio, quantopere in cephalæa ex usu sint *sternutatoria, masticatoria, V. S. fonticuli, Vesicatoria*, natura quippe dux optima: nec facile errat, ipsius qui insistit vestigiis. Illa flante prospere navigat æger: & interdum ipsa duce incredibilia peragit Medius. Uti scite *Seneca*: *Naturam sequentibus omnia facilia & expedita sunt, contra illam viventibus, non alia via, quam contra aquam navigantibus.*

TANTUM.

ADDITAMENTA.

I.

VUlnera membranarum cerebri per se sunt lethalia; nec concludendum, membranas non esse læsas, si earum læsionem non sequatur vomitus biliosus, delirium, febris, vigiliæ.

 Sinus

II.

Sinus à dura meninge efformati non videntur esse teretes, more aliorum vasorum, dissecti enim triquetram exhibent figuram.

III.

Sinus hi habent venarum rationem, & sanguinem per arterias in cerebrum delatum recipiunt, & in jugulares venas ad cor deducunt.

IV.

Quæ de transspiratione vaporum per cranii suturas vulgò dicuntur, rigidum examen non ferunt, ea enim de causa factas nemo dixerit, qui recte structuram earum, situmque considera-
verit.

FINIS.

